

<https://helda.helsinki.fi>

---

## Praefatio

Solin, Heikki

de Gruyter

2020

---

Solin , H 2020 , Praefatio . in H Solin , A Varone & P Kruschwitz (eds) , Inscriptiones parietariae Pompeianae . vol. IV, Supplementum 4.2 , Corpus inscriptionum Latinarum , de Gruyter , Berlin , pp. xxi-xxix .

---

<http://hdl.handle.net/10138/338119>

---

publishedVersion

---

*Downloaded from Helda, University of Helsinki institutional repository.*

*This is an electronic reprint of the original article.*

*This reprint may differ from the original in pagination and typographic detail.*

*Please cite the original version.*

## PRAEFATIO

Huius supplementi partis quartae fasciculus secundus continet 1) addenda et corrigenda ad inscriptiones pictas parietarias Herculaneenses supra p. 1109–1113 editas, a HEIKKI SOLIN et ANTONIO VARONE collecta, 2) auctarium addendorum ad inscriptiones pictas supra p. 1151–1555 editorum, quae iidem collegerunt, 3) novos titulos pictos parietarios hoc Corpore nondum comprehensos ab ANTONIO VARONE editos, 4) addenda et corrigenda ad inscriptiones graphio scriptas a ZANGEMEISTER et MAU editas, quae collegerunt HEIKKI SOLIN et PETER KRUSCHWITZ. A proposito huius novi supplementi exclusae sunt inscriptiones vasorum fictilium pictae vel graphio scriptae,<sup>1</sup> ante a SCHOENE apud ZANGEMEISTER, necnon a MAU, DELLA CORTE, CIPROTTI editae.

Novorum titulorum pictorum editionis rationem reddit VARONE in praefatione sua. De titulis graphio scriptis deque eorum studio inde a ZANGEMEISTER conspicuo et de indole huius supplementi dicendum est hoc.

1. Post auctores suo tempore valde notos et laudatos ut CHRISTOPHORUM MURR, CHRISTOPHORUM WORDSWORTH, FRANCISCUM MARIAM AVELLINO, IOANNEM FERDINANDUM MASSMANN,<sup>2</sup> qui tamen nondum critica ratione operati sunt, et RAPHAELEM GARRUCCI, de quo mox agam, CAROLUS ZANGEMEISTER (1837–1902) studia titulorum parietalium Pompeianorum ad summam dignitatem elevavit.<sup>3</sup> Eum in eius generis documentis legendis excelluisse omnibus patet. Subtili eruditione atque doctrina ornatus peritiaque incomparabili scripturarum cursivarum legendarum nisus opera sua omni laude digna fundamenta nova titulis parietariis Pompeianis indagandis posuit, certe et definite falsas lectiones et interpretationes priorum sustulit. Inter quos praesertim RAPHAELEM GARRUCCI (1812–1885),<sup>4</sup> qui primam syllogen ampliolem inscriptionum Pompeianarum graphio scriptarum ediderat,<sup>5</sup> austere impugnavit,<sup>6</sup> iuste, si rationem respicias; meminimus autem GARRUCCII primum inscriptiones id genus optimo sane consilio in unum contraxisse et in usum eruditorum contulisse. Utcumque res sese habet, ZANGEMEISTER lectiones, quas GARRUCCI expediverat, interdum sine ratione improbavit, nam per occasionem hic melius legit, ut patet ex tit. 1324. 1372. 2491. Porro ZANGEMEISTER titulos a solo GARRUCCI visos argumentis nimis severis reiecit et inter falsos vel suspectos movit (vide quae p. IX n. 27 notat), cum plures eorum manifeste genuini esse videantur (vide quae scripsi *Iscrizione e il suo doppio* 234–242 et infra p. 1632 sq.). Idem valet in alios auctores, quos ZANGEMEISTER sprexit, nominatim MURR et MASSMANN.

Eo magis id admirari debemus quod ZANGEMEISTER consecutus est, si animum intendimus difficultatibus, quibus implicabatur, cum adversis temporum et locorum condicionibus operam navare coactus esset. Derant ei inter alia lux electrica et imagines photographicae, quam ob rem carebat usu lucis lateralis (i. q. ital. *luce radente*), quae hodie inscriptionum editoribus *conditio sine qua non* est. Porro ne obliviscaris iis temporibus perspicillum documentorum epigraphicorum investigatoribus vix late in usu fuisse, nobis autem eius instrumenti usus necessarius est, cum titulos graphio scriptos legere conamur. Praeterea a tempore et custodibus Pompeis necnon in museo Neapolitano vexatus saepe nimis properare debuit. Quae cum ita sint, eum munus suum eximie absolvisse confiteri debemus. Eum locum primum inter omnes eruditos tenere, qui adhuc inscriptionibus Pompeianis operam navaverunt, non dubium esse debet, sicut omnibus apertissime patet. Si hic et illic male legit aut erroneas explicationes obtulit aut etiam in tabulis II–XL, XLVIII–LV, in quibus imagines delineatae repraesentatae sunt, mendas minoris momenti commisit, excusationem habere potest, si respicias illa impedimenta de quibus supra dixi.

<sup>1</sup> Notandum tamen est inscriptiones vasorum fictilium per occasionem se fragmenta titulorum parietalium patefactas esse (tit. 5534).

<sup>2</sup> De (CHRISTOPH GOTTLIEB) MURR (1773–1811) cf. E. MUMMENHOFF, *ADB* 23, 1886, 76–80; de WORDSWORTH (1807–1885) M. PAWLEY, *ODNB* 60, 2004; de AVELLINO (1788–1850) P. TREVES, *DBI* 4, 1962, 652–655; de (HANS FERDINAND) MASSMANN (1797–1874) W. SCHERER, *ADB* 20, 1884, 569–571. In universum de quaestione quantum ad textum inscriptionum Pompeianarum recensendum contulerint cf. ZANGEMEISTER p. VIII n. 21. 23–25.

<sup>3</sup> De eo cf. *Deutsche biographische Enzyklopädie (DBE)* 10, 2008<sup>2</sup>, 797.

<sup>4</sup> De vita eius breviter agit C. FERONE, *DBI* 52, 1999, 388–390.

<sup>5</sup> Sylloges editio prima nomine *Inscriptions gravées au trait sur les murs de Pompéi*, Bruxelles 1854 apparuit, editio secunda nomine *Graffiti de Pompéi. Inscriptions et gravures tracées au stylet recueillies et interprétées*, Paris 1856.

<sup>6</sup> Nuper defensionem dignitatis GARRUCCII C. FERONE vehementer pluries aggressus est: vide e. g. C. FERONE, *MGR* 13, 1988, 17–50; alia studia eiusdem collecta sunt in *Opuscula III: Lo studio delle antichità classiche nel Mezzogiorno d'Italia; Scritti su Raffaele Garrucci*, San Severo 2013, ubi quaestionem inscriptionum Pompeianarum indagandarum tangit e. g. p. 176–178, 222–226, 243–247, 258 sq., 281; R. GARRUCCI, *Questioni pompeiane*, ed. C. FERONE, Roma 2008; C. FERONE – I. IASIELLO, *Garrucci a Benevento. Temi e modi di uno scontro intellettuale alle origini della riscoperta archeologica di Benevento*, Roma 2008, 16. 19. 38. 41. 63. 260. Attamen conatus a FERONE susceptus ad fidem et auctoritatem ZANGEMEISTERO derogandam se valde captiosum ostendit.

ZANGEMEISTER saepius lectionibus vel schedis THEODORI MOMMSEN nisus est, qui aestate a. 1846 quattuor vel quinque dies Pompeis Neapolique in museo inscriptiones parietales exscripsit;<sup>7</sup> cuius apographa magni aestimavit (p. X n. 33).<sup>8</sup> MOMMSEN autem non semper bene titulos huius generis excepit, quod hic illic manifestum fit (velut tit. 1230. 1258. 1322. 1324. 1343a. 1344. 1363a. 1372. 1403. 1476. 1802. 1847. 1879. 1900. 2324. 2348 male interpretans. 2488. 4182. 4227. 4862). Patet igitur MOMMSENUM schedas titulorum graphio scriptorum interdum satis neglegenter composuisse et suas lectiones temerarie exhibuisse. Verisimiliter scripturae graphio exaratae eius ingenio minus accommodatae fuerunt.

2. G. KAIBEL, *Epigrammata Graeca ex lapidibus conlecta*, Berolini 1878. Is n. 1124 tit. 2400a egregio commentario edidit.

3. ZANGEMEISTERO qui inscriptionum parietalium Pompeianarum editor successit AUGUST MAU mandatum suum optime perfecit. Plerumque eius lectiones bene quadrant; huc accedit quod summus rerum Pompeianarum peritus fuit. Si per occasionem male aut legit aut intellexit, nihil utilitatis eius editioni adimit. Aliter ac ZANGEMEISTER tabulas lithographas extremo volumini non inseruit, sed ipsi editioni selecta apographa addidit. In indice auctorum qui rationem reddit inscriptionum post absolutum volumen a. 1871 editarum, non est cur hic easdem res repetam. Solum significare velim ex novis effossionibus multas inscriptiones ab ANTONIO SOGLIANO in summa bene lectas prodisse; eius apographa etsi per occasionem quaedam menda complectuntur, SOGLIANO in universum munus suum optime absolvit. Operae pretium est etiam librum MAU, *Pompeji in Leben und Kunst*, Leipzig 1908<sup>2</sup> commemorare.

4. MATTEO DELLA CORTE,<sup>9</sup> de studiis Pompeianis optime meritus ob eximium usum et consuetudinem rerum Pompeianarum, iam editioni quam MAU curaverat pauca suppediavit (vide tit. 6667. 6836. 6887–6889. 6932. 6935. 6938. 6941. 6942. 6959. 6960. 6973. 7020. 7021. 7037. 7061–7063. 7076. 7108), posterioribus autem scriptis plures titulos denuo legere et explicare conatus est.<sup>10</sup> Per occasionem primus lectionem correctam dedit (tit. 6885 v. 2 prioris partis; rursus alteram partem temere supplevit. 7094). Valde autem dolendum est, ut plane et aperte dicere coacti sumus,<sup>11</sup> eum inscriptiones nimis saepe male legisse (velut tit. 1459. 1783. 1787. 1917. 3145. 4677. 5296. 5437. 6819. 6821. 6825. 6891. 6896. 6897. 6900. 6901) et praesertim male explicasse (velut tit. 1304. 1369. 1373. 1392–1398. 1406. 1457. 1481. 1482. 1493. 1503. 1505. 1595. 1604. 1625. 1635. 1646. 1649. 1698. 1699. 1710–1712. 1750. 1751. 1920. 1956. 2028. 2081. 2150. 2155. 2258. 2258a. 2310b. 2374. 2375. 2408. 3113. 3130. 3890. 3976. 4049. 4110. 4121. 4201. 4206. 4208. 4209. 4268. 4287. 4300. 4374. 4426. 4528. 4546. 4578. 4716. 4923. 5123. 5244. 5352. 5358. 6757. 6817. 6828. 6838. 6892). Praecipue studiosus vestigia Christianorum Pompeis obvia quaerendi fuit, eius autem conatus iam a priori omni probabilitate carent (velut tit. 1604. 1607. 2012. 2013. 2015. 2016. 2018c. 6819–6821. 6825. 6826).<sup>12</sup> Conclusiones magni momenti ad res Pompeianas pertinentes, quas ex suis novis lectionibus colligere voluit, saepe omni fundamento carent (velut tit. 1291–1292a). Quae cum ita sint, maxime suspiciose cum lectionibus inscriptionum a nobis non visarum agere debemus. De huius voluminis tertio supplemento, quod DELLA CORTE maximam partem edidit, in fasciculo proximo dicam.

5. E. DIEHL, *Pompeianische Wandinschriften und Verwandtes*, Bonn 1910, 2. ed. Berlin 1930, ubi p. 61 sq. addenda ad priorem editionem suppediavit. Collectio utilis, paucis explicationibus praedita. IDEM in *De finali epigraphica*, Leipzig 1899 ad complurium inscriptionum parietalium textum recensendum contulit. Interdum interpretationes controversas aut lapsus calami minoris momenti offendis (velut tit. 1230. 1239. 1314. 1326. 1391. 1421. 1422. 1425. 1427. 1474. 1516. 1531. 1539. 1555. 1590. 1607. 1679. 1781. 1837. 1838. 1839. 1842. 1849. 1927. 1928. 1990. 2040. 2070. 2083. 2168. 2203. 2411. 2411a. 2425. 2507. 3200g. 3909. 3964. 4051. 4080. 4107. 4110. 4169. 4268. 4385. 4509. 4723. 4768. 4905. 5213. 5242, 5341. 5360. 5448. 6757. 6820. 6825. 6873. 6884. 6885). Omnia ex PRIORIBUS hausit.

6. E. ENGSTRÖM, *Carmina Latina Epigraphica post editam collectionem Buechelerianam in lucem prolata*, Gotoburgi – Lipsiae 1912. Utilis collectio carminum, quae post absolutam editionem a BÜCHELER prolatam prodierunt. Per occasionem minus bene interpretatus est (velut tit. 1655. 1852. 2247. 4379. 4603. 5187. 5244. 6825); rursus utilitatem auget quod aliquas inscriptiones, quae apud BÜCHELER aut LOMMATZSCH desunt, accepit.

<sup>7</sup> MOMMSEN operae, quam Pompeis navavit, rationem reddit in litteris mensibus Iulio et Augusto HENRICO BRUNN, EDUARDO GERHARD et GUIELMO HENZEN missis (vide WICKERT, *Mommsen* 2, 1964, 179 sq. 365).

<sup>8</sup> Ut et MOMMSEN ZANGEMEISTERI ingenium magni aestimavit; cf. e. g. III p. 923; epist. n. 391 a. 1877 (M. BUONOCORE, *Lettere di Theodor Mommsen agli Italiani*, Città del Vaticano 2017, 740). n. 418 a. 1878 (*ibid.* p. 764).

<sup>9</sup> De eo deque eius vita cf. A. GABUCCI, *DBI* 36, 1988, 782–784.

<sup>10</sup> Eius scriptorum operae pretium est haec tria afferre: *Case ed abitanti di Pompei*, 3. ed. curata da P. SOPRANO, Napoli 1965; *Amori e amanti di Pompei antica. Antologia erotica pompeiana*, Roma 1958 (ed. anast. Pompei 1976); *Iuventus*, Arpino 1924. Cf. et eius schedas Berolini in archivio Corporis inscriptionum Latinarum servatas.

<sup>11</sup> H. SOLIN, *Gnomon* 45, 1973, 277.

<sup>12</sup> In hac re contradixerunt complures auctores eiusdem et posterioris aetatis.

7. F. SLOTTY, *Vulgärlateinisches Übungsbuch*, 2. ed., Bonn 1918. Inter alia testimonia inscriptiones Pompeianas ad linguae Latinae historiam illustrandam edidit. Omnia e PRIORIBUS hausit.

8. E. LOMMATZSCH, *Carmina Latina epigraphica*. III. *Supplementum* (*Anthologia Latina* II 3), Lipsiae 1926. Schedis BÜCHELERI usus est; novos titulos parietales e libris hausit.

9. H. H. TANZER, *The common people of Pompeii. A study of the graffiti*, Baltimore 1939. Quaedam ad studium inscriptionum parietalium contulit, interdum minus bene (velut tit. 1239. 1512 periculose. 1604. 2016. 4745. 4824. 6733. 6750. 7069).

10. ROBERT MARICHAL pluries Pompeis Neapolique in museo commoratus confecit numerosas schedas inscriptionum parietalium necnon imagines a se plumbo defricatas (*frottis*), quas in editione *ectypa* appellabo. Ambae Lutetiae Parisiorum *Sorbonne* in bibliotheca instituti *École pratique des hautes études* servantur, ubi ANTONIO VARONE eas diligenter contulit (earum lectiones partim in *Imagines* divulgavit). Pariter MARICHAL anno 1957 imagines photographicas faciendas curavit, quae in Instituto Palaeographiae Universitatis Romanae *La Sapienza* servantur (infra nota "IP" distinguuntur); alia photographemata Lutetiae *Sorbonne* in eadem bibliotheca *Instituti École pratique des hautes études* servata sunt, quae a. 1954 facienda curavit. *Frottis* et schedae a MARICHAL confectae tamen paucam utilitatem habent; nihil fere ad textus constituendos conferunt, immo erroribus abundant (perperam e. g. tit. 1343a. 1356. 1357. 1363. 1364. 1821. 1842. 1860. 1884. 1887b. 1908. 1909. 1939. 2222. 2254. 2288. 2454a. 2456. 2508. 4207. 4593. 5296. 6882. 6884). Per occasionem MARICHAL melius legit quam priores, ut tit. 1831; cf. et tit. n. 2202. Paucas observationes publici iuris fecit; operae pretium est memorare commentationem in *Studi di paleografia* (1953), 345–363, ubi de formis cursivis litt. B disputat et rectam lectionem tit. 1831 dedit.

11. L. RUBIO – V. BEJARANO, *Documenta ad linguae Latinae historiam illustrandam* (*Manual de lingüística indoeuropea, Cuaderno* 6), Madrid 1955. Omnia e PRIORIBUS hausit.

12. PIO CIPROTTI schedas inscriptionum Pompeianarum Herculansiumque composuit, quae Berolini in archivo Corporis servantur. Praeterea studiis minoribus interpretationem inscriptionum elucidare conatus est. Interdum interpretationes controversas praebet (velut tit. 1210. 1257. 1291. 1392. 1604. 2155. 2457. 3952. 6820). Praeterea memoremus eius librum *Conoscere Pompei*, Roma 1959.

13. H. GEIST, *Pompeianische Wandinschriften. 400 Originaltexte mit Übersetzung und Angabe des Fundortes*, 2. ed. cum operis socio W. KRENKEL producta, München 1960 (ed. prima a. 1936 e prelo exierat). Edidit quadringentos inscriptiones parietales, quas Germanice vertit, explicationibus non additis. Tit. 116\* sincerum esse recte vidit. Rursus lapsus minoris momenti nihil eius utilitatis adimunt (velut tit. 1262. 1347. 1421. 1422. 1477. 1593. 1712. 1881. 2155. 2457. 2461. 3905. 4000. 4080. 4302. 4408. 4409. 4485. 4637. 4833. 5094. 6853). Omnia ex voluminibus Corporis nostri hausit.

14. V. PISANI, *Testi latini arcaici e volgari con commento glottologico* (*Manuale storico della lingua latina* 3), 2. ed., Torino 1960. Selectas inscriptiones parietales p. 117–126 edidit et commentatus est. Omnia e PRIORIBUS hausit.

15. W. KRENKEL, *Pompejanische Inschriften*, Leipzig 1961: selectos titulos Pompeianos (lapideos quoque) edidit, Germanice vertit, commentariis instruxit, imagines delineatas addidit. Omnia e PRIORIBUS hausit. Neglectis paucis mendis (velut tit. 1881. 2060. 2374. 2455. 5380) rem bene solvit. Idem in sua scripta minora valet, quae collecta sunt in *Naturalia non turpia. Sex and gender in ancient Greece and Rome. Schriften zur antiken Kultur- und Sozialwissenschaft*, hrsg. von W. BERNARD – CHR. REITZ (*Spudasmata* 113), Hildesheim – Zürich – New York 2006 (interpretationes controversas offendis velut tit. 1425. 1784. 1825. 1840. 1852a. 1940. 1969. 2028. 2081. 2266. 2268. 3968. 3995. 4304. 4699. 4862).

16. C. GIORDANO – I. KAHN, *Gli Ebrei in Pompei, in Ercolano e nelle città della Campania Felix*, Pompei 1965; editio tertia Romae 2001 apparuit. Liber sine ratione critica necessaria scriptus, cum auctores vestigia DELLA CORTE sequentes in pluribus inscriptionibus mentiones Iudaeorum male aut sine necessitate viderunt (velut tit. 1233. 1493. 1507. 1604. 2028. 2402. 4287. 4300. 4321. 5244. 6819–6821, 6825); C. GIORDANO – A. CASALE, *L'amore nei graffiti pompeiani*, Pompei 1993 (male ad tit. 5092); C. GIORDANO, *Sylva mala* 3, 1982, 5 (male ad tit. 6817. 6838).

17. M. GUARDUCCI, *Arch. Class.* 17, 1965, 219–270: optimae et consideratae observationes ad inscriptiones, quae quaestioni de exitu Pompeiorum coniunctae sunt (menda minoris momenti [vide tit. 6819] scriptum laudis plenum minime gravant).

18. R. ÉTIENNE, *La vie quotidienne à Pompéi*, Paris 1966. Saepius in inscriptionibus tractandis errat (tit. 1292. 1679. 1698. 1768. 4201. 4208. 4300. 4485. 6779. 6865). Omnia ex PRIORIBUS hausit.

19. V. VÄÄNÄNEN, *Le latin vulgaire des inscriptions pompéiennes* (*Abhandlungen der Deutschen Akademie der Wissenschaften zu Berlin, Klasse für Sprachen, Literatur und Kunst* 58, 3), 3. ed., Berlin 1966 (prima editio a. 1937 dissertatio Helsingiensis prodiit). Maxima investigatio de lingua Latina Pompeis obvia. Cf. et *Introduction au latin vulgaire* (*Bibliothèque française et romane* A 6), 2. ed., Paris 1967, ubi in appendice selectam inscriptiones parietales edidit. Omnia fere e PRIORIBUS hausit.

20. L. STORONI MAZZOLANI, *Iscrizioni funerarie, sortilegi e pronostici di Roma antica*, Torino 1973: p. 285–321 edidit 17 inscriptiones parietales Pompeianas, Italice vertit et paucis commentariis instruxit.

21. P. CASTRÉN, *Ordo populusque Pompeianus. Polity and society in Roman Pompeii (Acta IRF 8)*, Roma 1975 (ed. anast. Roma 1983). Investigatio historico-prosopographica de rebus gentibusque Pompeianis.

22. W.-D. LEBEK in pluribus commentationibus inscriptiones Pompeianas, praesertim metricas acute tractavit et optimis observationibus instruxit: *ZPE* 23, 1976, 21–40; 24, 1977, 25–31; 32, 1978, 215–220; 45, 1982, 53–57; 57, 1984, 63–72; 58, 1985, 45 sq.; 59, 1985, 1–6; 60, 1985, 53–61; 62, 1986, 49 sq. Solum perraro quaeri potest, num recte senserit (tit. 2138. 6819).

23. W. O. MOELLER, *The wool trade of ancient Pompeii*, Leiden 1976. Multas inscriptiones graphio scriptas ad artem texturam pertinentes tractat. Interdum observationes controversas offendis (tit. 1293. 1392. 1493. 1570–1571. 1604. 3130. 4101. 4107. 4110. 5363. 6714).

24. M. GIGANTE, *Civiltà delle forme letterarie nell'antica Pompei*, Napoli 1979. In libro imprimis inscriptiones metricae et inter eas praesertim versus poetarum antiquorum in usum scriptorum Pompeianorum accommodati dispiciuntur. Accedunt carminum versiones Italicae, paratae ad ea – et cum iis studia litteraria Pompeiana – melius intellegenda.

25. Librorum ANTONII VARONE de studiis epigraphicis Pompeianis optime meriti hos enumerare licet: *Presenze giudaiche e cristiane a Pompei*, Napoli 1979: testimonia ad Iudaeos et Christianos pertinentes diligenter perscrutatus est; *Erotica pompeiana. Iscrizioni d'amore sui muri di Pompei*, Roma 1994: plures inscriptiones ex visu edidit, commentatus est et Italice vertit, additis compluribus im. del. et phot.; *Titulorum graphio exaratorum qui in C.I.L. vol. IV collecti sunt imagines*, Roma 2012 (= *Imagines*), ubi inscriptionum imagines photographicas in unum locum ordine topographico publici iuris fecit; praeterea suas varias lectiones patefecit, quas inscriptiones ex visu perscrutando collegerat. Minorum eius scriptorum operae pretium est memorare haec, edita in: *Rediscovering Pompeii* (1990) 26–41 (conspectus generalis); *Abitare sotto il Vesuvio* (1996), 196–201; *Riv. Stud. Pomp.* 9, 1998, 225–229 (editio inscriptionum aedium VI 9, 3–5); *Ἐπιγραφαί* (2000) 1071–1093 (de inscriptionibus Pompeianis ineditis); *Donna e lavoro nella documentazione epigrafica* (2003) 193–215 (de meretricio servili in lupanario Pompeiano conspicuo); *Roma, la Campania e l'Oriente cristiano* (2004) 165–187 (de Iudaeis Pompeis testatis); *Riv. Stud. Pomp.* 16, 2005, 93–109 (de meretricii ratione cum Castrensi); *Unexpected voices* (2008) 125–135 (de usu imaginum photographicarum aliorumque subsidiorum technologicorum in studiis epigraphicis Pompeianis); *Inscriptions in the private sphere* (2016) 113–169 (varia de inscriptionibus ad excrementa aliasque res privatas pertinentibus); *Roman courtesan* (2018) 87–99 (de pupae, puellae et dominae appllationibus Pompeis obviis); *Domus Pompeiana M. Lucretii* (2019) 16–44 (editio inscriptionum aedium IX 3, 5, 24). Eius labores devoti multum studiis inscriptionum parietalium regionis Vesuvianae profuerunt; si interdum lectiones vel explicationes controversas praebet, id eius maxima merita nullo modo detrahit.

26. E. MONTERO CARTELLE, *Priapeos. Grafitos amatorios Pompeyanos. La velada de la fiesta de Venus. Reposiano, El concúbito de Marte y Venus. Ausonio, Centón nupcial (Biblioteca clásica Gredos 41)*, Madrid 1981. Praebet solam versionem Hispanicam complurium inscriptionum parietalium. Omnia e PRIORIBUS hausit.

27. J. N. ADAMS, *The Latin sexual vocabulary*, London 1982. Verba ad artem amatoriam pertinentia egregie tractat. Raro observationes controversas offendis (tit. 1391. 1825. 1840. 1879. 1884. 1898. 2258).

28. A. BALDI, *Iscrizioni pompeiane*, Cava de' Tirreni 1982.<sup>13</sup> Inscriptiones parietales Pompeianas paene ducentas edidit, Italice vertit et amplius commentatus est. Editio utilis, quamquam interdum locos inscriptionum corrumpit aut saltem male legit (velut tit. 1405. 1679. 1787. 1898. 1998. 2060. 2155. 2183. 2306. 2457. 3174. 3948. 4000. 4024. 4126. 4189. 4207. 4208. 4533. 4767. 4888. 4976. 5244 [*Anatema* 51]. 5380. 6757. 6819). Omnia fere e PRIORIBUS hausisse videtur. Praeterea commemoranda sunt eius opera *La Pompei giudaico-cristiana*, Cava dei Tirreni 1964 et *L'anatema e la croce: Ebrei e cristiani in Pompei antica*, Cava dei Tirreni 1983, in quibus de vestigiis Iudaeorum Christianorumque Pompeis obviis ratione non nimis critica agit.

29. P. CUGUSI complura scripta ad inscriptiones parietales, praesertim metricas Pompeianas Herculanesque pertinentia divulgavit: *Epigraphica* 44, 1982, 65–107 (de poetarum usu in carminibus epigraphicis); *QUCC* 48, 1985, 83–95 (de ratione metrica inscriptionum parietalium Pompeianarum Herculansiumque); *ZPE* 61, 1985, 23–29 (de inscriptionibus parietalibus 'politicis'); *Aspetti letterari dei Carmina Latina epigraphica*, Bologna 19962 (varia de carminibus epigraphicis); *Aufidus* 16, 2003, 17–29 (de poetis elegiacis in carminibus epigraphicis conspicuis); *Boll. St. Lat.* 33, 2003, 449–466 (de versibus intercalaribus Pompeis conspicuis); *Per un nuovo corpus dei Carmina epigraphica Latina, Mem. Lincei ser. 9, 22, 1, 2007* (varia de novo corpore carminum epigraphicorum); *Stud. philol. Valent.* 11 = n. s. 8, 2008, 43–102 (varia de carminibus epigraphicis Pompeianis Herculansibusque); *Boll. St. Lat.* 38, 2008, 478–534 (de Vergilii fortuna in

<sup>13</sup> Cf. recensum A. VARONE, *Riv. Stud. Pomp.* 2, 1988, 268–276.

inscriptionibus conspicua); *RFIC* 137, 2009, 235–238 (in recensu libri J. KRAMER [vide infra n. 49] inscriptiones parietales Pompeianas considerat); *Boll. St. Lat.* 40, 2010, 532–560 (de carminibus epigraphicis Pompeianis); *GIF* n. s. 1, 2010, 33–49 (de quaestione duplicationum in carminibus epigraphicis); *Paideia* 72, 2017, 73–126 (de ratione inter Ovidium et carmina epigraphica). Interdum explicationes controversas varii generis offendis (tit. 1237. 1593. 1780. 1837a. 1970. 2247. 2360. 2457. 4112. 4208. 4783. 6820. 6825. 6891).

30. S. FERRARO, *La presenza di Virgilio nei graffiti pompeiani*, Napoli 1982. Testimonia de Vergilii fortuna Pompeis collegit et interpretatus est.

31. M. L. FELE, *Ann. Fac. di Magistero Univ. Cagliari*, n. s. 10, 1986, 5–44. Investigatio metrorum in carminibus Pompeianis adhibitorum, bonis observationibus praedita. Per occasionem fortasse nimis subtiliter metra discernit vel rem sine argumentis firmis explicat (tit. 1326. 1405. 1410. 1604. 1792. 1831. 1881. 2013. 2016. 2021. 2048. 2059. 2414).

32. H. MOURITSEN, *Elections, magistrates and municipal élite. Studies in Pompeian epigraphy*, Roma 1988. In administratione urbana indaganda etiam inscriptiones graphio scriptas adhibuit (indici Pompeianorum ab eo collecto pauca accedunt, e. g. tit. 5352).

33. L. CANALI – G. CAVALLO, *Graffiti latini. Scrivere sui muri a Roma antica*, Milano 1991.<sup>14</sup> Editio inscriptionum parietalium selectarum, additis ampla praefatione, versionibus Italicis et paucis explicationibus et selectis imaginibus delineatis. Menda minoris momenti raro offendis (tit. 1477. 1880. 1883. 1904. 2258a. 2310b. 2360. 2400. 3117. 4208. 4528. 4592. 5092. 6893). Omnia e PRIORIBUS hausisse videntur.

34. L. ESCHEBACH, *Gebäudeverzeichnis und Stadtplan der antiken Stadt Pompeji*, Köln – Weimar – Wien 1993. Index utilis aedificiorum Pompeiorum secundum ordinem regionum et insularum dispositus. Quaedam iudicia dubia offendis (tit. 1339. 1375–1389. 1402–1408. 1459. 1567. 1639. 1646. 1661. 2076. 2146 al. 2150. 2258a. 2321. 3985. 4012. 4049. 4268. 5122–5123. 5363. 6714. 7059). Omnia ex PRIORIBUS hausit.

35. F. P. MAULUCCI VIVOLO, *Graffiti d'amore*, Foggia 1995 (selectas inscriptiones parietales edidit, Italice vertit et paucis figuris instruxit); *Graffiti figurati*, Foggia 1993 (im. del. et phot. figurarum, interdum inscriptionibus praeditarum, edidit); praeterea *E l'acqua zampillerà dal deserto (Testimonianze giudaiche e cristiane a Pompei prima del 79)*, Napoli 1990. Inscriptiones partim ipse vidit. Saepius male legit vel intellexit (velut tit. 1375. 1476. 1493. 1507. 1750. 1751. 1773. 1882. 2028. 2175. 2193. 2258. 2258a. 2320. 2451. 2457. 4024. 4287. 4300. 4498. 4592. 4648. 5095).

36. P. MOREAU, *Sur les murs de Pompéi. Cent vingt-trois inscriptions lapidaires et pariétales de Pompéi. Choies et traduites*, Paris 1993. Selectas inscriptiones Pompeianas edidit, Francogallice vertit, paucas im. del. addidit. Quaedam menda minoris momenti raro offenduntur (tit. 1422. 2048. 2457. 4302). Omnia e PRIORIBUS hausit.

37. D. NOY, *Jewish inscriptions of Western Europe I*, Cambridge 1993. Inscriptiones Iudaicas Pompeianas p. 57–60 n. 38–40 edidit, Anglice vertit et observationibus instruxit.

38. W. J. TH. PETERS & AL., *La casa di M. Lucretius Fronto a Pompei*, Amsterdam 1993. Inscriptiones parietales ediderunt E. M. MOORMANN et S. L. WYNIA, qui servatas omnes viderunt (menda minora in tractandis tit. 6783. 6786. 6789).

39. E. COURTNEY, *Musa lapidaria*, Atlanta 1995. Inter alia carmina in inscriptionibus parietalibus Pompeianis servata edidit, quae ex libris repetivit. Interdum interpretationes controversas praebet (velut tit. 1516. 1595. 1837. 1898. 5296).

40. K.-W. WEEBER, *Decius war hier... Das Beste aus der römischen Graffiti-Szene*, Zürich – Düsseldorf 1996. Sescentas fere inscriptiones parietales Pompeianas edidit et Germanice vertit; passim im. del. addidit. Mandatum non bene exsecutus est; saepius in textu constituendo aut vertendo erravit (velut tit. 1222. 1256. 1261. 1262. 1335. 1383. 1391. 1425. 1454. 1477. 1679. 1751. 1812. 2155. 2194. 2206. 2225. 2247. 2257. 2306. 2312. 2402. 2416. 2451. 2455. 2457. 3042. 4000. 4239. 4408. 4639. 4768. 4777. 4993. 5094. 5136). Omnia ex PRIORIBUS hausit.

41. P. KRUSCHWITZ pluribus commentationibus inscriptiones Pompeianas, praesertim metricas elucidavit: *Gymnasium* 106, 1999, 231–253; *Nova Acta Leopoldina* N. F. 83, n. 316, 2000, 147–158 (cum T. HIEPE); *Arctos* 38, 2004, 27–58; *Temptanda viast* (2006) 1–14; *Arctos* 41, 2007, 31–48 (cum H. HALLA-AHO); *Stud. Philol. Valent.* 11, 2008, 225–264; *Arctos* 43, 2009, 57–84 (cum V. L. CAMPBELL); in *Colloquial and Literary Latin* (2010) 127–153 (cum H. HALLA-AHO); in *The language of the papyri* (2010) 156–170; *ZPE* 174, 2010, 207–218; *Tyche* 27, 2012, 93–111 (cum V. L. CAMPBELL & M. NICHOLLS); *Studj Romanzi* 10, 2014, 245–279.<sup>15</sup> Inscriptiones in situ Pompeis Neapolive vix scrutatus est.

<sup>14</sup> Cf. recensum A. VARONE, *Riv. Stud. Pomp.* 5, 1991–1992, 241–246.

<sup>15</sup> In *Studj Romanzi* p. 273 n. 27 pessimam lectionem tit. 1679, quam praebuit WOECKNER, imprudenter accepit. In *Temptanda viast* p. 4 nondum novam lectionem tit. 1523 cognovit, qua inscriptionis interpretatio plane mutatur.

42. S. CONTINO, *Iscrizioni latine volgari*, Palermo 2000. Viginti fere inscriptiones parietales edidit et commentariis instruxit. Per occasionem male legit aut intellexit (tit. 4888). Omnia ex PRIORIBUS hausit.
43. P. G. GUZZO – V. SCARANO USSANI, *Veneris figurae. Immagini di prostituzione e sfruttamento a Pompei*, Napoli 2000, et eorundem *Ex corpore lucrum facere. La prostituzione nell'antica Pompei*, Roma 2009. Raro explicationes controversas offendis (tit. 1751. 2178a. 4277).
44. J. DEFELICE, *Roman Hospitality. The professional women of Pompeii*, Pennsylvania 2001. Copiose professiones femineas Pompeis conspicuas tractat. Interdum inscriptiones male intellexit (tit. 1292. 1383. 3905. 4025. 4259. 4441. 4816). Omnia ex PRIORIBUS hausit.
45. M. LANGNER, *Antike Graffitizeichnungen. Motive, Gestaltung und Bedeutung (Palilia 11)*, Wiesbaden 2001 (cum disco). Collectio plus minus plena figurarum Pompeis graphio exaratarum, interdum inscriptionibus praeditarum. Magnam partem earum, quae adhuc restant, ipse vidit. Menda minoris momenti (velut tit. 1362. 1392–1398. 1396. 1474. 1499. 1639. 1644. 1847. 1850. 2056. 2173. 3204. 3936. 3994. 4303. 4723. 4827. 5120) nihil libri utilitatis adimunt.
46. L. JACOBELLI, *Gladiatori a Pompei. Protagonisti, luoghi, immagini*, Roma 2003 cum aliis commentationibus. Raro res controversas invenies (tit. 4287).
47. R. R. BENEFIEL complura scripta ad inscriptiones parietales Pompeianas Herculanesesque pertinentia divulgavit, quarum multas ipsa vidit: in *Pompei, Capri e la Penisola Sorrentina* (2004) 349–368; *ZPE* 167, 2008, 193–200; *AJA* 114, 2010, 59–101; in *Latin on stone* (2010) 45–75; in *Ancient Graffiti in context* (2011) 20–48; in *Muse at play* (2012) 65–80; in *Inscriptions in the private sphere* (2016) 80–100; *AJA* 122, 2018, 209–244. Raro interpretationes controversas offendis (tit. 2124. 3525 [cf. p. 1560 ad tit. 3525]. 4650. 6817).
48. R. E. WALLACE, *An Introduction to Wall Inscriptions from Pompeii and Herculaneum*, Wauconda Ill. 2005.<sup>16</sup> Plus quam trecentas quinquaginta inscriptiones parietales Pompeianas Herculanesesque edidit et explicationibus praesertim ad linguam pertinentibus instruxit. Hic illic male legit vel intellexit (velut tit. 1222. 1347. 1421. 1589. 1783. 1864. 2016. 2124. 2258a. 2310b. 5127. 1597). Omnia ex PRIORIBUS hausit.
49. J. KRAMER, *Vulgärlateinische Alltagsdokumente*, Berlin – New York 2007. Inscriptiones parietales Pompeianas p. 105–112 edidit, Germanice vertit, explicationibus praesertim ad linguam pertinentibus et partim imaginibus delineatis instruxit. Errat in tit. 4592 exemplo constituendo. Omnia ex PRIORIBUS hausit.
50. J. BERRY, *The complete Pompeii. The life of a Roman town*, London 2008. Plures inscriptiones tangit, earum autem solam versionem Anglicam praebet. Interdum explicationes controversas offendis (tit. 1507. 1808. 1810. 1881. 2145. 2156. 2457. 3204. 4297. 4342. 4345. 4420. 5244). Omnia ex PRIORIBUS hausit.
51. V. HUNINK, *Glücklich ist dieser Ort! 1000 Graffiti aus Pompeii, Lateinisch/Deutsch, ausgewählt, übersetzt und herausgegeben (Reclams Universalbibliothek 18842)*, Stuttgart 2011.<sup>17</sup> Plus quam mille inscriptiones Pompeianas edidit et Germanice vertit; paucas explicationes addidit et passim im. del. inseruit. Inscriptiones in ordine topographico secundum regiones (aetate recentiore confirmatas) collocavit. Saepius legendo, intellegendo, vertendo erravit (velut tit. 1222. 1239. 1261. 1262. 1296. 1324. 1383. 1391. 1421. 1422. 1592. 1653. 1700. 1819. 1827. 1881. 1970. 1971. 1983. 2016. 2022. 2075. 2145. 2159. 2201. 2203. 2206. 2253. 2257. 2258. 2306. 2310b. 2311. 2375. 2393. 2410. 2411a. 2425. 2457. 3200aa. 3885. 3889. 3891. 3905. 3908. 4080. 4126. 4138. 4207. 4208. 4257. 4260. 4261. 4268. 4325. 4677. 4976. 4993. 4995. 5064. 5393. 6838. 7080). Omnia ex PRIORIBUS hausit.
52. A. E. COOLEY – M. G. L. COOLEY (Ed.), *Pompeii and Herculaneum. A sourcebook*, 2. ed., London 2014 (editio prima nomine *Pompeii. A sourcebook*, London 2004 e prelo exiit). Testimonia de Pompeis Anglice verterunt et paucis explicationibus instruxerunt. Raro interpretationes controversas praebent (tit. 1292. 4976). Omnia ex PRIORIBUS hauserunt.
53. P. KEEGAN, *Graffiti in Antiquity*, London – New York 2014. Plures inscriptiones cum sola versione Anglica reddit, interdum additis im. phot. Praeterea cf. commentationem ‘Graffiti as *monumenta* and *verba*: Marking territories, creating discourses in Roman Pompei’, in *Inscriptions in the private sphere* (2016) 248–264. Interdum inscriptiones male legit vel intellexit, velut tit. 1334. 1339. 1343 a. 1352 c. 1354. 1364. 1365. 1837. 1852. 2258. 6815. Omnia ex PRIORIBUS hausit.
54. K. MILNOR, *Graffiti and the literary landscape in Roman Pompeii*, Oxford 2014. Complures inscriptiones praesertim metricas edidit, Anglice vertit et commentata est. Paucas im. del. et phot. addidit. Interdum male rem excepit (velut tit. 1237. 1520. 1595. 1679. 1812. 2360. 5297–5299. 6820. 6865). Omnia fere ex PRIORIBUS hausit.
55. J. F. DIBIASIE, *The writings on the wall: the spacial and literary context of domestic graffiti from Pompeii*, Diss. Texas 2015. Diligenter documenta epigraphica duodecim domuum scrutata est, quaestiones generales ut situs inscriptionum in diversis domus membris indagans. Plurimas inscriptiones earum domuum

<sup>16</sup> Cf. recensum meum *Gnomon* 82, 2010, 527–531.

<sup>17</sup> Cf. recensum meum *Gymnasium* 121, 2014, 91–105.

edidit, Anglice vertit et commentariis et plurimis imaginibus delineatis et photographis instruxit. Interdum interpretationes controversas offendis (tit. 2014. 2016. 2019. 2021. 2023. 2145. 2150. 2151. 2155. 2157. 2162. 2163. 4035. 4041. 4051. 4053. 4057. 4096. 4098. 4122. 4225. 4226. 4228. 4492. 4494. 4497. 4498. 4504. 4506. 4509. 4511. 4512. 4514. 4516. 4520. 6789. 6790). Complures inscriptiones ipsa contulit.

56. A. SPAL, *Poesie – Erotik – Witz. Humorvoll-spöttische Versinschriften zu Liebe und Körperlichkeit in Pompeji und Umgebung*, Berlin – Boston 2016. Duodeviginti inscriptiones metricas edidit, Germanice vertit et copiosis explicationibus instruxit; paucas imagines photographicas addidit. Interdum interpretationes controversas offendis (tit. 1520. 1647. 1649a. 1820. 1821. 1822. 1822a. 1825. 1881. 2247. 2360. 4200). Omnia fere ex PRIORIBUS hausit.

57. H. SOLIN, in *La collezione epigrafica. Museo archeologico nazionale di Napoli, a cura di C. CAPALDI – F. ZEVI*, Milano 2017, 246–275. Omnes inscriptiones parietales Pompeianas, quae in parte epigraphica musei recens instituta expositae sunt, edidit, Italice vertit, im. phot. instruxit. Plures novas lectiones interpretationesque invenies et in *Epigraphica* 30, 1968, 105–125; *GNOMON* 45, 1973, 258–277; *Neue Forschungen in Pompeji* (1975) 225–244; *Pompeji* 79 (1984) 278–288; *Latin vulgaire – latin tardif* 8, 2008, 60–68; *Gnomon* 82, 2010, 527–531; *Variation and change in Greek and Latin* (2012) 97–114; *Veikko Väänänen, latiniste et romaniste* (2012) 9–67; *Studia in memoriam G. Alföldy* (2013) 327–350; *Gymnasium* 121, 2014, 91–105; *Iscrizione e il suo doppio* (2014) 234–242; *Modelli epistemologici* (2015) 115–137; *Vesuviana* 8, 2016, 105–127 (cum P. CARUSO); *Arctos* 50, 2016, 150–169; [*vø:rtər*]. *Mélanges de linguistique, de philologie et d'histoire ancienne offerts à Rudolf Wachter*, Lausanne 2020, 129–132. Quaedam Pompeiana tetigi et in *L'interpretazione delle iscrizioni parietali. Note e discussioni*, Faenza 1970.

58. P. LOHMANN, *Graffiti als Interaktionsform. Geritzte Inschriften in den Wohnhäusern Pompejis (Materiale Textkulturen 16)*, Berlin – Boston 2018. In libri parte generali de compluribus inscriptionibus parietalibus disputat; in selectarum domuum catalogo omnes fere titulos edidit et numerosis imaginibus delineatis et photographis instruxit. Interdum controversae legit vel intellexit (tit. 1764. 1837. 2510. 3091. 4107. 4195. 4196. 4204. 4778. 6783. 6824. 6909. 7070). Complures inscriptiones ipsa in parietibus contulit.

59. S. LEVIN-RICHARDSON, *The brothel of Pompeii. Sex, class, and gender at the margins of Roman society*, Cambridge 2019.<sup>18</sup> Argumenta topographica et epigraphica lupanaris q. d. novi VII 12, 18–20 indagat. Praesertim elementa meretricii ibi in inscriptionibus graphio scriptis et picturis conspicui explorat. Omnes fere inscriptiones adhuc servatas ipsa vidit et imagines photographicas sumpsit. In appendice p. 154–162 lupanaris inscriptionum syllogen exhibet. Interdum interpretationes controversas offendis (velut tit. 2173. 2174. 2176. 2177. 2178b. 2179. 2180. 2183. 2189. 2192. 2197. 2198. 2200. 2203. 2204. 2208. 2228. 2234. 2235. 2237. 2239. 2242. 2243a. 2244. 2247. 2250. 2253. 2257. 2258a. 2259. 2267. 2279. 2280. 2285. 2289. 2294; praeterea significationi cognominum Victoris et Victoriae p. 57 sq. 123 sq. nimium valorem tribuit, contempta paronomasia tit. 2212. 2221. 2225. 2226).

60. R. WACHTER, *Pompejanische Wandinschriften*, Berlin – Boston 2019. Plus quam mille quingentas inscriptiones parietales edidit, Germanice vertit et commentatus est. Omnia ex PRIORIBUS hausit. Auctoris comitate libri plagulas adhibere potui.

61. Postremo dicendum est duas encyclopaedias *Pompeii. Pitture e mosaici I–X* (1990–2003) et *Pitture e pavimenti di Pompeii I–III* (1981–92), quas notis PPM et PPP significavimus, nobis maximam utilitatem suppellectile photographica et topographica praestitisse.

Per plures annos quidquid inscriptionum graphio scriptarum in parietibus Pompeianis Neapolique in museo adhuc restat investigavi descripsique, ut nova fundamenta earum bonae lectionis iacerem. Nam patet hoc genus documenta variis falsis lectionibus interpretationibusque facile exposita esse. Itaque pro parte mea arduo labore tales fraudes extirpare conatus sum: inde ab anno 2003 Pompeios Neapolimque pluries profectus ratione et via operam dedi, ut parietes ad titulorum lectiones examinandas perquirerem. Neque me fefellit spes laboris huius sane operosi, ex qua non parvum redundavit emolumentum: trecentas novas lectiones adeptus sum, plura monstra sustuli. Sed iam pridem casualiter annis praeteritis inscriptionibus Pompeianis operam dederam (e. g. Neapoli a. 1967 carmina 4966–4973 et a. 1976 tit. 2508 primum contuli).

Berolinum rursus inter annos 2000 et 2010 pluries adii, ut titulis parietalibus Pompeianis edendis operarer. Iam pridem HANS KRUMMREY, Corporis inscriptionum Latinarum olim procurator, a me quaesiverat, num inscriptionum graphio scriptarum supplementum curandum susciperem; aliis oneribus illo tempore gravatus eius rogationem invitatus abnuere debui; sed aliquot annis post mutatis temporum condicionibus propositum aggredi potui. Ita rogatu Corporis tum procuratoris MANFRED SCHMIDT anno 2000 consilium inii addenda et corrigenda ad inscriptiones parietales graphio scriptas hucusque in Corpore editas componendi. Initio inscriptionum singularium schedas bibliographicas a KARIN IFFERT collectas perquisivi emendavi correxi et simul varios libros, inscriptionum apographa potissimum a ZANGEMEISTER et MAU facta, schedas a DELLA CORTE

<sup>18</sup> Cf. recensum P. G. Guzzo, *BMCR* 2019.12.15.



et CIPROTTI conscriptas et in Corporis archivo servatas, alias notationes varii generis in Corporis bibliotheca et archivo excerpti. Berolini ad munus promovendum contulerunt MARCUS DOHNICHT, ANNE GLOCK, ILENIA GRADANTE, KARIN IFFERT, ULRIKE JANSEN, PETER KRUSCHWITZ, PAOLA TOMASI, VOLKER WEBER. Corporis procuratorum mihi subsidium tulerunt MANFRED SCHMIDT quaeque ei successit ULRIKE EHMIG, eiusdem moderatorum GÉZA ALFÖLDY, WERNER ECK et MARIETTA HORSTER necnon BERND SEIDENSTICKER, qui socius Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis vice Academiae Corporis officio fungitur. Maxime autem mihi adfuit STEFANO ROCCHI, ab Academia Berolinensi nobis operis socius mandatus, qui qua est diligentia et sagacitate plagulas huius editionis perlegit et menda varii generis in iis obvia sustulit.

Pompeis Neapolique me multimodis adiuverunt praefecti aliique officiales et ministri praefectarum ad antiquitates Campanas gerendas: in museo archaeologico nationali Neapolitano ALFONSO DE FRANCISCIS, FAUSTO ZEVI, PAOLO GIULIERINI, VALERIA SAMPAOLO; Pompeis PIETRO GIOVANNI GUZZO, MASSIMO OSANNA, ANTONIO D'AMBROSIO, GRETE STEFANI, VINCENZO PAGANO. PAOLA CARUSO Beneventana et GIANLUCA MANDATORI Romanus me pluries Pompeios Neapolimque comitati sunt, mecum inscriptiones legendo emendaverunt et imagines photographicas sumpserunt (illa inde ab anno 2012, hic annis 2017–2019). MARTIN LANGNER me certiore fecit de figuris graphio scriptis ab eo visis, sed post pessumdatis; cum POLLY LOHMANN titulos aedium *delle Nozze d'argento* inspexi (ea praeterea imagines photographicas earum aedium a se sumptas in usum meum dedit). PAOLO GIULIERINI et MASSIMO OSANNA nobis permiserunt, ut imagines photographicas a nobis sumptas in hoc volumine publici iuris faceremus. Ante omnia autem debeo amico carissimo ANTONIO VARONE, qui qua est humanitate fulcrum meum Pompeis Neapolique per decennia inceptum nostrum omnimodis promovit; magnam partem inscriptionum, quae Pompeis adhuc restant, communi labore quaesivimus inspeximus legimus et de earum interpretatione meditati sumus. Neque praetermittenda est ξενία haud communis eius eiusque familiarium.

Omnes inscriptiones graphio scriptas in prioribus voluminibus huius Corporis editas, quae Pompeis Neapolive adhuc restant, invenire et recognoscere conatus sum. In hoc mihi magnum fuit emolumentum, quod ANTONIO VARONE omnes fere earum iam investigaverat et contulerat et imagines photographicas sumendas curaverat; alias imagines ego annis 2013–2019 sumendas curavi. Carum habui de locis recte statuere, ubi inscriptiones repertae essent; ea quaestio non raro difficilis fit, quod praesertim in inscriptiones a ZANGEMEISTER editas valet, nam eis temporibus divisio in regiones et insulas nondum in usu fuit, quam ob rem is interdum se ambigue exprimit. Nomina et numeros regionum, insularum, aedificiorum eorumque membrorum secundum operas *Pompei. Pitture e mosaici* et *Pitture e pavimenti di Pompei* significavimus. Rursus quo loco in pariete inscriptio exarata sit, mensuras a VARONE gravi labore collectas repetivimus; in editione titulorum pictorum a VARONE confecta mensurae in metris indicantur, cum in editione addendorum ad inscriptiones graphio scriptas in centimetris dentur.

Munus lemmata inscriptionum singularium componendi ita disposuimus, ut KRUSCHWITZ maximae parti carminum Latinorum, EGO omnibus inscriptionibus soluta oratione scriptis necnon carminibus Graecis et parti carminum Latinorum provideremus. Quod KRUSCHWITZ ultimis annis aliis oneribus gravatus munus suum ad finem perducere non potuit, EGO hic illic praesertim addenda bibliographica aliaque additamenta ad carmina Latina contuli. De dispositione lemmatum singularium operae pretium est notare nos inscriptionum selectarum exemplum dedisse, si nova recensione textum a ZANGEMEISTER vel MAU datum nobis contigit aliquantum ut mutaremus. Si lemmatis initio notamus titulos perisse nec imagines photographicas servari, eo semper significamus neque VARONE neque ME titulum vel imagines photographicas vidisse. Deinde rationem reddimus imaginum delineatarum aut photographicarum deque ectyporum a MARICHAL confectorum (quae *frottis* appellat); huc accedit quod mentio facta est apographorum, quae VARONE charta perlucida exarata faciendae curavit. Berolini servatae sunt plures imagines delineatae a ZANGEMEISTER aut MAU aut per occasionem ab alio quo confectae, quae interdum lectiones editorum aut confirmant aut refellunt; earum selectae infra publici iuris factae sunt. Imaginum photographicarum magna pars a praefectura ad antiquitates Pompeianas gerendas sumpta est, alias sumendas curavit ROBERT MARICHAL (de quibus vide supra p. XXIII n. 10 ad MARICHAL). Nuper ego quoque imagines photographicas sumendas curavi; paucas earum infra in lemmatis inscriptionum singularium edemus. Notitiam imaginum et ectyporum a MARICHAL confectorum Lutetiae servatorum amico VARONE debeo. In bibliographia ordinem bipertitum secuti sumus: primum editiones pervulgatas adducimus, deinde alias commentationes, omnes temporis ordine servato.

Notae in indicandis imaginibus photographis adhibentur hae:

Mero numero, quem praecedunt litt. A/, B/, C/, D/, G/ (quarum A/-D/ amplitudines imaginum negativarum distinguuntur, G/ imagines digitales), indicantur im. phot. undique collectae in tabulis praefecturae ad antiquitates Pompeianas gerendas (*Parco archeologico di Pompei*).

ALINARI: im. phot., quae Florentiae in tabulis societatis *Fratelli Alinari* servantur.

ANDERSON: im. phot., quae Florentiae in tabulis societatis *Fratelli Alinari* servantur.

DAIR: im. phot., quae Romae in Instituto Archaeologico Germanico servantur.

ICCD: im. phot., quae Romae in *Istituto Centrale per il Catalogo e la Documentazione* servantur.

IP: im. phot., quae in Instituto Palaeographiae Universitatis Romanae *La Sapienza* servantur; eas a. 1957 faciendas curavit R. MARICHAL.

EUGENIO LUPOLI: photographus Neapolitanus a. 2007 aliquot imagines photographicas in meum usum sumpsit.

SOLIN: im. phot., quas Pompeis Neapolique inter a. 2012–2019 sumpsi vel faciendas curavi et quae Berolini in Archivo Corporis Electronico (ACE) in tabulis Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis servantur.

Huius supplementi fasciculus postremus continebit 1) addenda et corrigenda ad inscriptiones graphio scriptas a DELLA CORTE et CIPROTTI supra p. 845–1135 editas; 2) omnes inscriptiones parietales in Corporis vol. IV nondum editas; 3) indices inscriptionum in Supplementi partibus tertia et quarta editarum necnon novarum lectionum in addendis et corrigendis collectarum; 4) indicem topographicum secundum ordinem regionum insularumque hodie usurpatum compositum.

Scrpsi Helsingiae mense Martio a. 2020

Heikki Solin